

partim eas relaxando, partim tenore intendendo. Humectare et rarefacere quantum humorum spissum, densum, et siccum sit; eorumque visciditatem attenuare, et tenuitatem quodammodo inspissare (s), et humorem depravatam alterare novi, vel et derivare, quo magis tutum est (§. 30.). Humorem etiam superfluum evacuare, vel et deficientem supplere, verum ubi oportet, et quantum, et quando (t). Reliqua quoque facere, quae ad curationem morborum praesertim longorum et diuturnorum spectant, contraria semper contrariis adducens, ferocem nimirum motuum impetum, ex causis summe acutis, vel alicubi a vi corporis facile irritabili (§. 24.), turba dolorum (u), vel symptomatum terribilium concursu aegrum angentem, quam omnia ejus membra reciproce trahantur intensa et involuntaria musculorum convulsione (v),

sive

---

(s) Gaub. ib. §. 282. seq. 286. seq. (t) De his egregie summus ille admirator et imitator Graecorum Herm. Boerhavius in Aphorismis de cognoscend. et curand. morbis §. 22 — 105. qui de his plane fontibus epidem. VI. sect. II. praxim suam general. hausisse videtur; et illi non absimilis van Swieten in commentar. in eisdem aphorism. (u) Boerh. ib. 220. seq. (v) id. ib. §. 230. seq. et 1071 — 1088. Gaub. id. §. 742. — 745.